

F. X. 28, 10.

(X 2000289)

Ya
521

EMINENTISSIMOS
URBIS
PROCERES,

VENERANDOS atqve GRAVISSIMOS
GYMNASII INSPECTORES,

Omnes deniqve bonarum artium
PATRONOS, FAUTORES, ÆSTIMATORES
AD AUDIENDAM
ORATIONEM PUBLICAM,

Qvâ

Annunte summo scholarum moderatore DEO

JOH. FRIDERIC. NICOLAI,

Annaberg. Misnicus,

ACTENUS PALÆOPYRGEI NOSTRI

ALUMNUS. OPTIMUS atqve GRATISSIMUS

d. XI. Jul. anni decurrentis,

MEMORABILIA
ANNABERGÆ ET
VIROS EJUS ILLUSTRES

edifferet,

Simulqve Musas Palæopyrgicas valere jubebit
prece submissa, officiosa ac peramica invitat,

PAUCA

DE IIS QVI PATRIAM VIRTUTIBUS ET
FAMA ILLUSTRARUNT

commentatus,

JOH. CHRISTOPH. *Benzel* / Phil. ac Med. D.

Palæopyrg. Direct.

ALTENBURGI,

Imprimebat JOH. GOTHOF. RICHTHERUS, Typogr. Ducal.





FELICITER!



Vemadmodum multi, quorum memoria cum vita expiratura erat, patriæ suæ celebritate, ab oblivione vindicati fuere: sic vicissim proluxa illorum series reperitur, quorum vel facta vel fata soli natalis ignobilitatem illustrarunt. Nemo hodie Rudias nominaret, obscurum quondam in angulo Calabriae oppidum, nisi perennem genuisset Ennium. Umbria, quam imminetia Apennini juga umbrosam & nomine suo dignam reddebant, nulla re memorabiles erat, quam ventre, cui turpiter deditos fuisse incolas, autor est Athenæus. Sed postquam Sarsinæ Os Musarum, Plautus, lucem vidit, ex umbra quoque protracta est Umbria. Pisaurum, ejusdem provinciae oppidum, ruderibus suis vix superviveret, nisi clarissimum Accii Oratoris nomen se & patriam posteritati consecrasset. Venusio jucundissimæ Nasonis Veneres decus venustum ac æternum conciliarunt. Volaterræ præter Persii sui satyras parum possidere, quod vel orbi dividi vel posteris commendari posset. Aquinum tamdiu in ore hominum versabitur, quamdiu secula cultiora sales Juvenalis admirabuntur. Licet Mytilenæ rara extent in annalibus vestigia, extabunt tamen publica famæ præconia, donec Pittacus e sancto sapientum septenario proscribetur. Si ex urbe Priene ab hostibus capta nihil secum abstulissent cives, suffecisset tamen ad famæ immortalitatem, Biantem omnia sua secum portasse. Gentis Scythicæ tanta fuit barbaries, immanitasque tanta, ut, notante Erasmo, ipsa appellatio cesserit in proverbium. Nihilominus tantum effecit docta Anacharsidis humanitas, quæ ceu rosa e spinis Scythicis efflorescebat, ut mollius de gentis duritie sentiretur. Lindus non tam Herculi, utpote, cui solis maledictis sacrificabat, nominis sui memoriam debet, quam Herculeo corporis & animi in Cleobulo sapientissimo robori. Miletus laudatur, quod olim fuerit civitas belli pacisque artibus princeps. Sed eam inclytis plurimorum civium ingeniis magis inclytam factam esse, lippis etiam notum est. Quis enim Thaletis, quis Anaximenis, quis Timothei musici laudes nesciat? Stagira, parvum in finibus Macedoniae oppidum, a divini Aristotelis laude adeo fuit illustrata, ut ipsæ Athenæ cum illa comparatæ, noctuarum suarum instar, coecutire videantur. Sinopen præter clarissimum, quod ibi floruit, Gymnasium, rubrica in eadem inventa nobili-

bilitavit. Sed fatales rerum humanarum conversiones hæc quoque monumenta sustulissent, nisi canis ille in dolio, Diogenes, cuncta, & sic ipsam quoque mortalitatem derisisset. Samos nobile est apud historicos nomen. In ea enim non solum Sibyllarum una, sed ipsa quoque Juno nata esse creditur. Vasa præterea Samia, fictilia scilicet egregio artificio fabricata, laudes insulæ impensè auxerunt. Solus autem Pythagoras, numeris suis ac harmonia, dignus erat, propter quem gentes omnes nomini Samiorum inviderent. Agrigentum gloriâ sua ad nostrum nunquam pertigisset ævum, nisi Empedocles crepidas suas e flammis Ætnæ ejectas reliquisset. Tarentum luxu & deliciis, quibus supra modum solvebatur, promeruerat, ut penitus delenda videretur ejus memoria. Postquam vero Archytas columbam ligneam volatilem fecit, ipsa etiam patria volitare, efferri inquam, & celebrari coepit. Democritus quamvis lucubrationibus suis crypticis cives suos moveret, ut Hippocrate accersito, belleborum ipsi propinari curarent: arte tamen & Sapientia tantum valuit, ut *Abdera* non saltem *pulchra Tejorum*, sed & Musarum *colonia* non injuria dicatur. Pellæ cum amplissimis civitatibus de gloria contendere licebit, quippe quæ non bellicosum tantum Philippum, sed & filium ipso patre majorem, & cui unus non suffecerat orbis, progeniit. Esto, Bœotiam apud vicinos ferè omnes male audisse, cum, teste Nepote, *firmitati corporis magis, quam ingenii inservierit*: Ascra certe inter opera memorabilia & in die clarissimâ versabitur, quamdiu Opera & Dies Hesiodi insepulta manebunt. Megarenses licet olim ab Atheniensibus sub pœna capitis urbe exclusi fuerint, cum Euclide tamen suo, & Theognide non solum in magnificas Regum aulas, sed & ipsa honoris adyta intromissi sunt. Lesbon vinum generosius nobilitavit, sed multo insignius Pœsis, & quæ illam mirâ felicitate colebat, disertissima Sappho. De Pylo nil refert antiquitas, nisi quod in ea Nestor regnaverit. Sed & hic longævitate sua & dulcissima oris facundia, liberandæ ab oblivione patriæ suffecit. Ithacam certe rupes inviæ & præruptæ saxorum moles consecrare non potuissent, nisi Ulysses, cujus astutiam ac fortitudinem sermonis suavitas condiebat, factis suis monumentum patriæ ære perennius exegisset. Quid aspera, horrida & frigida Thracum terra laudis haberet, si potentissimus Orphei cantus aeris rigorem & inhospita tesqva non demulisset. Quid de Arpino dicamus, quod vel ipsum mundi caput gloriæ magnitudine longè superat, postquam Cicerone suo orbem beavit, *Romam Romano* (ut cum Grotio ludam) *qui docet ore loqui*. Quid si urbibus illis, quarum fama civium virtute illustrata fuit, nobile illud Misniæ decus, vicinam Annæbergam annumeremus? Sanè quò pulchriora naturæ & artis spectacula civitas hæc offert, eò major ejus nobilitas videtur cogitantibus, quod ex illa integer ferè virorum Clarissimorum exercitus prodierit. Orbis etiamnum miratur Theologos insignes; *Sarcerium, Jenisum, Pfendnerum, Schüzium, Kleinium, Beutherum, Kühnium, Lehmannum*. Jcis veneranda sunt nomina: *Hermanni, Unvirdtii, Adami, Risi, Barthii, Steinbachii, Zimmermanni, Brunnii, Suevi, Jegeri, Weidleri, Staudii, Wolffii, Erckeri, Magdeburgii, Meisingeri*. Medicorum ordo veneratur inter præcipuos: *Sturcium, Barthium, Colreuterum, Mylium, Oderum, Stempelium*. Et quis unquam tanta eloquentia tamque divino & incredibili genere dicendi fuerit, qui Philosophos, Philologos, Pœtas & Oratores, non modo ornare oratione, sed enumerare, aut consequi possit? Nobilissimæ hæ animæ instar Planetarum sunt, qui eo ipso splendore solem suum stipant & ornant, quo ab illo, ceu fonte suæ lucis, collustrati sunt. Sed

Yasui R
Sed penè dixerim, sole feliciorè esse Annæbergam, utpòte quæ, dum ille numerum stipatorum eundem retinet, recentì subinde stellarum progenie augetur. Non indignum putò novâ hâc siderum familiâ Juvenem, raris ingenii dotibus, industria & pietate ornatissimum

JOH. FRIEDERICUM NICOLAI,
Annæberga-Misnicum.

Hic à prima statim pueritia dedecori sibi fore duxit, ni *vincendo plebem* vim nominis sui æmularetur. Plebem superavit incredibili literarum amore, superavit indefesso illarum & constantissimo studio. Cùm proinde & virtutibus, modestiâ imprimis & gratitudine, vulgus ignobile vicerit, quis miretur, quod etiam, annuente numinis favore, artium nobilissimarum ornatu *Nicolaus* evaserit. Certè si non alium a plebe victoriam reportaret, sola Poësis satis tropæorum promitteret, quam tanto animi impetu & felicitate expolivit, ut hic mihi a laudibus ejus temperare non possem, nisi metuendum sit, ne mihi pæana canere videar, dum æmuli mei victorias deprædicem. Novi enim Aristarchorum ingenia, & ceras eorum miniatulas, qui ut serpentes quidam Epidaurii nimis acutum cernunt, & singulis apicibus insidiosè imminent. Sufficiat laudasse, quod *Nicolai* noster inter Musas Palæopyrgicas locum suum sic ornaverit, ut omnibus videatur dignissimus, quem ad sublimiores suas acroases Academiæ intromittant. Secum proinde constituit, nostra hæc subsellia cum splendidissimis Lipsiæ pulpitis commutare. Et cum sciat, se in suavissimo Nutricis, Altenburgi, amplexu beneficiis infinitis devinctum esse, decorum censuit, voce publicâ animi sui gratitudinem declarare. Fiet hoc bono cum Numine, die crastina, hora I. pomeridiana, oratione concinna & elegante, qua *Memorabilia pariter ac Viros celebres* dulcissimæ suæ patriæ explicabit. Finito sermone, & cum ex more recepto dimissus fuerit, commilitones sequentes gratulatione sua defungentur:

Georg Christian Geyer / Reimsd. Misn. Hebr.

Carl Philipp Dachritz / Born. Græcè.

Joh. Michael Kresschmar / Görso. Latinè.

Gottfried Tobias Mahn / Oberloedl. Latinè.

Georg Friedrich Döhler / Altenb. Gallicè.

Gottlieb August Jenichen / Euteriz Lat.

Georg Cornelius Schmiedel / Wiesenst. German.

Johann Heinrich von Elterlein / Schmalzgr. German.

Heinrich Gottlob von Dießkau / Eqv. Misn. Germ.

Johann David Fischer / Wiesenst. Germ.

Vos itaque compello, *Eminentissimi Altenburgi Proceres, Venerandi Lycei nostri Inspectores, ceterique literarum Patroni atque Fautores*, non rogans solum sed & obsecrans, ut exoptatissimo vestro favore omnium docentium juxta ac discipulorum conamina porro sublevare, pulcherrimumque seminarium nostri florem contra hostiles carpentium, invidentium ac calumniantium insultus fortissime tueri velitis. Precibus hisce nostris num subscripturi sitis, inde nobis luculenter constabit, si actum futurum oratorium gravissima vestra præsentia illustriorem reddere non gravati fueritis.

P. P. Altenb. d. XI. Jul. M DC XCVII.



F. X. 28, 10.

(X 2000 289)

EMINENTISSIMOS URBIS

Ya
521

PROCEEDES,

VENERANDI
GYMNASII

SIMOS
ORES,

Omnes de
PATRONOS, FA
AD
ORATIO

m
IATORES
M,

Annuate summo

ore DEO

JOH. FRID

COLAI,

Ann

ACTENUS PA
ALUMNUS. OP
d. XI.

NOSTRI
SIMUS

MEMO

LIA

ANNAE

ET

VIROS EJ

RES

Simulqve Musas
prece submissa

jubebit
at,

DE IIS QVI PA
FAMA

S ET

commentatus,

JOH. CHRISTOPH. *Wenzel* / Phil. ac Med. D.
Palæopyrg. Direct.



ALTENBURGI,

Imprimebat JOH. GOTHFR. RICHTHERUS, Typogr. Ducal.

